21670
kat.komp.
III Mag. St. Dr. P

...acus

Prokopowicz Casimiri: Panegyris gratulatoria honori et meritis Matthaei Orlowski.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 868.

PANEGYRIS GRATVLATORIA.

HONORI & MERITIS

Perillustris & Reuerendissimi Domini,

D. MATTHÆI ORŁOWSKI,

I. V. D. Prothonotarii Apostolici, Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnẽsis Canonici, Camenẽsis Infulati, Archidiaconi Curelouiẽsis & Præpositi Małogostẽsis.

CELSISSIMI PRINCIPIS,

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

IOANNIS DE MAŁACHOWICE MAŁACHOWSKI,

Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriæ.

Generalis Causarum

AVDITORIS.

Recurrente Diui MATTHÆI Solenni die, ex voto, gratitudinis & applausûs ergo

A

M. CASIMIRO PROKOPOWIC,

Philosophiæ Doctore, in Scholis Nouoduorscianis Pòëtices Professore.

DEDICATA.

Anno Domini 1689. Die 21. Septembris.

21.670 III

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rñdiss. Dñi Episcopi Crac: Ducis Seueriæ. Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONIC.

I. XXII. 5

AD
Perillustrem & Reuerendißimum Dominum
Votum, grati pectoris Scazonte expressum.

ILlustre lumen fulgidæ Diœcesis,
Splendore Iuris maximo Iubar fulgens,
Magnumqué Numen Palladis Sacræ, dignis
Optata demum plausibus, perenniqué
Cœtu Virorum, fama Nominis Diui,
Quis te locauit Cracio solo rumor?
Vel qui beati temporis tulit clangor,
In inclytas has luce splendidas oras
An non potestas hæc suprema fatorum,
Quæ sæpè dignum prouidet decus mentis,
In æquitatis pondus, atquè cortinam,
Hæc Te secundis omnium tulit votis,
Vt omne fas iustâ bilance præsentes
Legemquè dicas, atqué iura feruenti
Interpreteris voce; litis auditæ &
Vt turbidas mentes fauente componas
Cœlo, Tuæ virtutis hic labor, monstrat,
Tot lustra læti sæculi, tot & pacis
Lauri virentes hederas, Senatumquè
Honoris ampli, maximamqué Votorum
Spem præmiorum, dignitate florentem:
Sic ominati læta Nominis Virtus
Præcincta nexu Fasciæ, manu ducet
Te dulce Nomen, corq; dulce plaudentis
Cleri: perennes concinet Tibi laudes;
Vt vinculum Natale Præsulis tanti,
In auspicatum Nomini tuo Votum
Cedat, ferasq; vt gloriæ tuæ palmam,
Quam sub coronis gemmeis coronatam,
MATTHÆVS assumes, fauente Vauelo.

PANE-

PANEGYRIS.

EXcelſam gloriæ Maieſtatem, & ingentia magnæ, atque inuſitatæ faſtigia fortunæ, quam vulgus crebrâ opinione beatitudinem appellat, cùm optimi quique mortalium, ex merito virtutis occupant; illi ſolùm deteriores cenſentur ab omnibus, qui ſolâ nominis ambitione, tantam amplitudinem emenſi, ſtupore & exceſſu famæ, cui nulla contingat oratio, ac conuoluentibus ſeſe magnæ felicitatis titulis, exæquârunt. Innumeri quippè ſumma tentant faſtigia, & ipſam propè diuinitatem ſapiunt; virtutes exercent, & placitis ſtimulo patientiæ abſtinent voluptatibus, omnem parſimoniam temporis, maiori pretio, quàm ipſimet æſtimantur còëmunt, manus, vires, & animum explorant ſæpiùs, quàm tempus, vel neceſſitas poſcat, id agunt in tenebris longâ cogitatione diffuſi, quomodo in claro meridie, concolori fuco commendabiliores appareant: quid non euoluunt, boni ſuperi? quid non in caſſum tentant, & eiurato librantis ſe ſe per ſublimia quæquæ ambitionis auſu ſuſtinent: vniuerſi ceu agmine facto, ſedem beatam, & gemmeam fulgurantis ex alto gloriæ domum obſident; vt tandem conſummato euanidæ laudis leui curriculo, falſis encomiis, claro, quæ nulla ſunt, meritorum ſuorum, illati triumpho, velut terrarum Domini, ad Deos euehantur. Ita ſanè delirant & inſaniunt, virtutis vultum inanem habentia, vitiorum mōſtra: aliò erumpunt obſtrepentis plebeculæ agmine vaſto; vt felicitatem capeſſant, quam pro Numine venerantur: aliò ad præcelſum virtutis templum, magnum iter incipiunt, vbi è veſtigio huc atque illuc defeſſa titubant, hærent, in plano biuium clamant, & nunquam magis proficiunt; quàm in præcipitium per magnas tempeſtates relapſa. Tātæ molis opus gloria, quam nomina vana, & ſolis maiorum clara fumoſis imaginibus, nimis pertinaci perſequuntur ſtudio; quanquam rarò fortunæ, cui partem felicitatis ſolido demere de die, ſemper pronum eſt, rarò ſceleri, ſæpiùs inuſitatæ virtuti debeatur; illam tamen ſtulta hominum temeritas, veluti immortalibus in ſe meritis, non ſolùm, vt dignum ſe præmium poſcit, ſed ceu obtorto collo, euulſam ſuâ Maieſtate Deam, ſeruili compede vinctam, in triumphum ducere ſacrilegium audet. Hinc certatim criſtati fortunæ pulli, iniquam hæreditatem rapiunt & poſſident, vnde faſtu & portentoſo rerum tumētes euentu, criſtas attollant: non hâc quâ virtus laborue, fecit glorioſum

ſum callem, per ſaxa iacentia, exeſaſque ferro vel aceto cautes; ſed per mendacia viarum, quibus tenebriones incedunt, ad Coronas, & excelſa dignitatum culmina eluctantur: quibus verò non ex voto, miſcens aduerſa ſecundis, auream fortuna colligit meſſem, & alternis vicibus, ſpes magnas, & ſæpè rerum inanes, ceu diffuſas per mare naues, inſolens Æoli imperium premit ac concutit, iam læſa conſcientia, turpi laborat infamiâ, iam grauis vndiquaq; oboritur metus, occurſant fraudes, ſi potentia adſit, atrocia rerum diſcrimina præſtò ſunt; iuſtitia ſanguine gaudet, templa & aræ ſine religione, triſte negotium orbi in ſe reuelant, ius datum ſceleri, religioſiùs obſeruatur, in commune nefas iuratur pro crimine, omnia noua & molitiones laudantur, & ille optimus publici conſultor habetur boni, qui maximè malis artibus, venale exercet ingenium. In tanto gloriæ certamine, vbi non omnibus meta exemplo honos eſt; alij graſſantur, & ſeipſos non intelligũt, alij in veterem mentis exceſſum, & errorem relapſi, ſine intellectu palantur, nec ſuis rebus ampliùs modum ponere, nec quæſita retinere ſciunt: non vnus pace inclareſcere ſtudet, ſed leni exeſus inertiâ, omne decus & ſplendorem extinguit, alius ſago & togâ ſimul, manſura nominis decora, & immortalitatem prætendit; ſed magis denſâ hoſtium circumfuſus grandine, quàm improuiſa formidine ictus, tàm claro præcocis victoriæ exemplo, perennem famam inumbrat; hic virtutes deſerit, ille vitia amplexus defendit, alius quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam, domi ſuffocat. Equidẽ in caſſum huc conuolant, moras omnes conſumentes, & ad omnem mali cogitationem ſeſe contrahentes, auidi gloriæ Deunculi; non enim eluctantur in ſublimem honoris arcem, ſerpentes humi teſtudines, vel inertiam & ſomnum olentes animæ; virtute ſolâ nonniſi, & magno ſpiritu itur in altum; vnde laus vera optimis & integerrimis Viris contingit, maiori æſtimatione & voto, quàm ſi Numina priſcorum titulos, ſolâ dignatione adſtruerent, & triumphos, glorioſo applauſu, antiquitatis, iterum orbi reuelarent. Non hac viâ approperaſti, ad Tui altitudinem honoris, & in auguſtum, ingentibus meritis, ad lancem ſapientiæ expenſis, præcelſiſq; tuis Virtutibus, gloriæ ſacrarium conſcendiſti, quâ ſomni alumna inertia, & vana hominum ambitio, per interualla eluctatur, PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE: contempſiſti omnia, quæ faſtum, & tumentes ſpiritus inflant: & hîc Te iudicauit ſapientia, exactis ſecundùm Deum immortalem

luſtris,

lustris, in summo ponendum fastigio, qui ambitionis vicinum ruinæ fastum despexeras: ministra Deorum inclyta Tua Ales, suetis in cœlum volandi vsibus, perspicaciorem crystallo, mentis Tuæ pupillam, non per infima terrarum, & obscuros orbis anfractus diffundendam; sed in cœlestium mentium partes, vnde omnem eruditarum scientiarum succum, & solidioris sapientiæ Ambrosiam hausisti, intendendā docuit: certârūnt communi voto, pro Te virtutes, & magna elogia parabant; quanquam tuus animus, recti honestiq; capacissimus, insolens in vitia flecti, uirtutum alimentis saginatus, omne illud respuebat glorioso contemptu, quod aut mollem saperet voluptatem, aut cum Virtute coniunctum non esset. Nam quàcunquè, siue difficilimarum, scientiarum dogmata addiscendo, siue in sapientiæ Areopago, non magis togatis insignibus, quàm tuis virtutibus laureatus occurrebas, aliter deprehendi, quàm virtutum, & sapientiæ, summis functus honoribus, nec voluisti, nec potuisti: eminere nesciens, maior omnibus, & supra alios, æstimabaris vbiquè vltra omne pretium. Non vnius hæc grandis cogitatio mentem subibat, quantus futurus eras, stato annorum tempore, dum in succrescente ætate tantus fuisti. Nihil enim in Te non maturū, nihil non consummatū, nihil quod non sapientiæ iudicium posceret, magnorum Virorum testimonia probauêre. Sublimia hæc mentis tuæ decora, & consummatam in sapientiæ sacrario prudentiam, nunc Lechicus admiratur orbis, & stupet, nec minus, hāc sibi communibus votis felicitatem gratulatur, Te PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, more Aquilæ Tuæ, in æthereas partes, impetu non inglorio euolâsse, atq; magna Themidis oracula, cœlitùs delibâsse, quâ tàm augustâ sorte, non modò ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS PRINCEPS MAŁACHOVIVS, non modò sacer huius Diœcesis Clerus, sed & illi, qui Te nondum ex lineamentis corporis cognouerunt, gloriantur. At concurrant ad te visendum, Vir Maxime, celebrandumq; vniuersi, quorum cordibus, & animis amorem Tui infudisti, circumstent Te gratiæ, Charitesque comitentur vniuersæ, exposcant, & venerentur, ceu deliciū, vota omnium? mihi aliud studium erit, publico hoc nouæ gloriæ auctoramento, obstricto alto Nomini Tuo oratori, non minus ad diem Diuo Patrono tuo sacram, festiuâ gratulatione triumphantem prosequi; quàm magna laudum tuarum exempla euoluere, & ipsâ æstimatione maiora tua merita, non tàm luci publicæ consecrare; nam clariora luce

ſunt; ſed ex voto religioſiùs venerari. Veniā merebitur inconſulta fiducia, culpam in obſequiū prætendens, ſi tuis exactis virtutū, & meritorum magnis operibus, vi, calamo, & eloquentiâ, quâ par eſt, nō reſpondebit.

Claritudinem nominis, quod præſtantiſſimam famæ ſeriem poſt ſe trahit in publicum, & ſumma laudum faſtigia, plurimi in ipſo vitæ exordio, vix in auras illati, vbi pulchram cœli faciem ſuſpiciunt, ſubitò, malâ rerum conuerſione, vel reclamante votis ſuis fortunâ, ne ampliùs per omnes meritorum gradus abeant, aut ingratâ ſanguinis ſuſpicione, aut parentum virtutibus renitenti inuidiâ, contaminare ſolent. Non omnes quippe, ex illa naturæ longa caligine emergentes, ſplendidè veniunt, & magno collucentium virtutum comitatu, inquilinam ingrediuntur regionem; ſoluuntur quidem æternis in mundum naturæ legibus; ſed iterum ingloriâ ſorte, quæ ſe non attollit ſupra humanam opinionem, ſubducuntur in arctum, vbi neceminendi locus eſt, nec ad gloriæ, & libertatis ſtationem, proficere licet. Diem pulchrā omnibus accendit Phœbus; ſed non omnibus lux alma generis effulget: magna pars mortalium, fulgorem iſtum, pauciſſimis communem lucis vſuram, non aduertit, in denſam generis ſui noctem, meramque ſine luce caliginem relabētes. Vni Seruio Tullio contigit, caſu & rariſſimo fortunæ exemplo, clarum ac celebrem euaſiſſe, cuius generis ignobilitatem, ceu nube quâdam, reſperſâ tenebris inumbratam, non illuſtrâſſet vtique, abiectæ ſortis origo? quem natura, & tenuis naſcendi conditio, penes ſuas egeſtatis leges, ad calamitatem vulgi damnauerat; niſi ſolâ conniuentiâ ſuperum, & naturæ indulgentiâ, ſtupendo facti prodigio communita Tanaquil, admirandis fortunæ vicibus, nouum ſibi affudiſſet ſplendorem, & noctem illam, quæ obſtat & arcet, magnis ſeſe infundere faſtigiis, adſcititiâ Regum luce eliminâſſet. Lex aliis hæc, non alia fuit, vt in triſti ergaſtulo, nullis præeuntibus ſignis, in obſcura nocte, nullam gloriæ lucem poſt ſe trahētes naſcerentur; ſed illam tibi PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE ſeruare non licuit, cui refulgentibus Virtutum radiis, nouos ſplendores, non ſine ſtupore vouentium, affuderat Cœlum. Quotquot enim Te naſcentem, pectuſquè tuum adhuc infantile, vultumquè gemmeum, amica quædam amoris illicia, & gratias exſpirantem, illuſtrauêre lumina, quotquot nouæ claritudinis exornauerant ſydera, quorum maieſtate lucis, illuminabaris faſciatus, ipſe tandem ſine maculis, luciḋiſſimus Sol animorum futurus, non ego minor annis, & cogitatione ma-

gnarum

gnarum rerum, hic fidem meam appello; ſed omnium, qui tùm cum Voto aderant ſoliciti, & gaudiis diffluentes, conſcientiæ clamant, altaquè gratulantium ſuſpiria, exceſſu lætitiæ tanto, omnium aures occupant & implent, cùm Te maximum virtutum, & rectè factorum hæredem, in decus ſapientiæ, in delicium orbi datum, illis pulcherrimis amoris deſideriis, & magnis ſpebus amplecterentur. Iterdum naſcũtur filii Hëroum noxæ, ſummam tituli in ſuis ponentes natalibus, ſolam maiorum ſanguinis originem, in laudes & Elogia deriuantes, plena tumoſis imaginibus atria recenſendo; Tu Vir meritiſſime, nobilis portio ſanguinis, non modò gloriæ ſplendores non minuiſti, ſed lumine Virtutum magìs auxiſti, obuiam virtutem amplectens intenſiùs, quàm nomen, famam, magnoſque cenſus honoris, vana fortunæ inſignia. Principio namquè florentis tuæ, laudatæquè ſatis Iuuentæ, quãta concordia ex merito virtutis, quantuſquè concentus omnium laudum, omniſque gloriæ in Te reſonabat, cum intimo cordis illicio omnium, Te adoleſcentem adſpectantium? vt non ſucceſſor tàm amabilis boni, quàm hæres, & Dominus videreris. Ætas hæc cunctorum, maximè iuuenum, feſtiuâ anticipatione inſolentiæ, immaturas præoccupat mentes, & non magìs mirâ rerum amœnitate demulcet, quàm longam eripit cogitationem de ſeipſis, vt non intelligant, quid agant ſuſpectum, grauitatiq; repugnans. At Tu omnem fucum, & cupedias omnes, illaudatæ ſigna licentiæ auerſatus, nihil egiſti, quod te non modeſtum redderet, omnia forti brachio complexus, quæ commendationem & gloriam parant, inter pares, diſpar moribus & virtute; quia melior: inter æquales non idem, quia maior, ad Summa natus, contentione gloriæ ferebaris. Operoſum eſt placere ſapientibus, ſed non vltima laus, quia & immortalitati inſerit quemquè, & magna gloriæ compendia parat. Tu in delicijs ſapientiæ natus, non magis vitales auras, quàm omnium, & maximè Sapientum amorem in Te traxiſti. Aduertit in Te mentem illam, penè diuinam, magnarum rerum capaciſſimam, fax Sanctæ & regula vitæ, aureum monile togatæ Sapientiæ, diuini humaniquè Panthèón Iuris, bonitatis & Virtutum Sacrarium, magnorum huius Diœceſis Antiſtitum, cor & delicium GRABIANOVIVS, Canonicus Cracouienſis, magno illo huic Diœceſi præſidente TRZEBICIO, Generalis Cauſarum Auditor; nec remiſit priuati Studij literarum monumentis, ritè eandem imbuere, ac indolem tantam, nutritam fauſtis ſub penetralibus, ſtimulo gloriæ, alias iam magnis ſci-

entiarum incrementis initiatam, ad maiora vocare, excitarequè : quî non magìs rerum magnitudini, quas mente non obliquâ geſſerat, quâ votis tuis, & gloriæ allaborabat. Creuit ſucceſſus hic, eò maiori deſtinatione fortunæ, & meritò; quò ſpes maiores, vota omnium & cogitatio de Te, ac non vana bonarum literarum ſtudia ſufficerent. Iam firmitas mentis, iam vires corporis ſuccreuerant, iam honor capitis,& dignitas oris, magno ſuperum collata munere, Te celebrandum Orbi parabat, dum lucidiſſima ſeptemtrionis Pharos, inclytum Diuinæ Senaculum Sapientiæ, Mater & Filia Regum, eruditionis ac ſinceritatis crystallus, Alma Academia Cracouienſis, Te ſibi in delicium rapuit. Hîc meritò, magnæ Alitis Tuæ, operoſos in altum tractus imitatus, euolaſti paſſu glorioſo, non inconniuâ oculorum acie, ad ſolem ſapientiæ; Viam Tibi monſtrabat labor, moras omnes & obſtacula, ſolertiſſimum ad omnia quæquæ, ſubmouebat ingenium: ibas in altum ad inclytam ſapientiæ domum, viâ, quâ non ex facili itur. Totus inuiſceratus Palladi ſuæ, vix non ſimillimus Ioui, ſublimiores cum admiratione gradus merebaris, nec parem tuis magnis dotibus, verâ ſcientiarum hæreditate, ſapientum iudicia conſignabant, qui excellentiſſima etiam prætervectus ingenia, nullum locum linquebas, quem Tuæ ſtupor ſapientiæ non impleret, nullum tempus conſumere patiebaris , quo non rectam viuendi rationem condiſceres; & cùm omne in ſtudijs faſtigium impleuiſſes, eminere amplius non potuiſti, niſi laureatus, in lucem publicam prodires Doctor. Grandia hæc Nominis Tui, & perennaturæ famæ decora, tot congeſta trophæis, & illuſtrata triumphis, quot immarceſcibiles laurus, & encomia meruêre. fecerunt Tibi magnam de Te ipſo cogitationem, cui parem honorem geras, & nomen Doctoris, non infimo dignum elogio, quibus ſtudijs & lucubrationi conſecres Captant leuem gloriæ auram, quibus magnarum exemplo virtutum, & clariſſimis ſapientiæ ſplendoribus, effulgere conceſſum non eſt, prodire in lucem publicam erubeſcunt, ipſas etiam, ſi aliquando micuerit, tenebras timent, magna ſemper appetunt; ſed nunquam ingentibus factis, operoſas manus applicant, & ingenium. Quantis Tu Vir Maxime, in Auguſto hoc Orbis Lechæi amphiteatro, reſplenduiſti muneribus, quis ille mentis vigor? quis ardor in porticu ſapientiæ generoſi pectoris? qui Te ſtultæ vulgi opinioni exemerat; vt ipſi ſapientiæ inſereret myſtam. Gratulabatur ſibi magnum Doctorem Peripatus & Stoa, ac togata Sapientum Reſpublica, optimum Ciuem futurum ominabatur, in Te vno ſpes

& vo ta

& vota ponebat, in Te suauissimam expectationem, signis omnibus, & crebrâ solicitudine præsagiebat, quem in delicijs tenerrimè habuit. Sed breues ritè amantium deliciæ, non voluntates hominum implent, & exsaciant, imò maiori, dum non longo tempore cessant, viscera sauciant dolore, si non excutiunt, & iucundâ sui recordatione, dulcem animo inferunt mortem. Quanta hinc omnibus suboriebatur admiratio! quãtus dolor, cunctorum animos occupabat! quàm dulce, & iucundum de Te institutum certamen, dum alteri subsellio ad danda iuris responsa transferebaris, quem in loco, in domicilio sapientiæ, magnus honor poscebat.

O si calame, tantâ rerum magnitudine, & summorum nominum maiestate presse, æternitati scriberes, laudata nunquam immortalia gesta, & stupendas, supra humanam fragilitatem prominentes, sacrisq; collucentes fulgoribus virtutes, alteri vix aliquando concessas, illius infracti pro Ecclesia Dei Atlantis, literarum ac literatorum Assertoris, nobilitatis gemmæ, muneris sacerdoty Aaronis & totius bonitatis aurifodinæ, Antistitis Laodicensis Oborscij! Vir erat sine exemplo exemplaris, sine fuco vndiquaq; commendabilis, sine ostentatione celebris, sine stimulo operosissimus, rarâ hoc sæculo religione in Deum & Sanctos, ac profusione opum in egenos laudatissimus, in nullum prodigus, in omnes liberalssimus, & hoc solùm auarè cupiit, vt omnibus benefaceret; merita hæc tantam laudis materiam poscunt, quantum æternitas virtutum suarum laudatorem exigit. Magni huius Antistitis, circumvalarûnt Te innocentissima vndiquaq; lilia, & in tàm suauolentem cucurristi odorem, nullibi iucundiores cordis delicias ratus, quàm obuersari in liliis, quàm pulchris stipatus floribus, arcana, Iuris Oracula pandere. Itaquè Regens Consistorii factus, ô quantus ab omni populo æstimabaris! & hoc maximum profectò, futuræ tuæ felicitatis argumentum erat, vbique eloquentiâ Cyneas, iudicio Consus, virtute Aristides, magnis iustitiæ mnneribus Lycurgus, prædicabaris. Solenne istud nominis Tui encomium erat, in arduis animum promptum præstare, in difficilioribus non omnibus parem solertiam demonstrare, in obscuris lumen mentis affundere, vbiquè magna prudentiæ, & sapientiæ dona, vsibus mortalium communicare. Profectò eluctari in sublime culmen honoris, per ardua rerum discrimina, soli Alcidæ, aut cui natura masculam virtutem dedit; sed non omnibus licet: audent quidem, verùm est, sæpè tenues grandia; sed ingenti rerum magnitudine fracti, ani-

cti, animo cadunt, sæpè in limine inchoati operis, inter angustias deprehensi suffocantur, & quò se altiùs cupiunt attollere, eò magis descendunt, & non aliter, ac Pigmæi, etiamsi in ipso cœli supercilio, pumiliones apparent. Stupebant Te PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, supra omnem opinionem euectum, qui Te vnquam audiuêre Cyneam, in illa circumspecta suggerendarum causarum maturitate, intendebant oculos, & mentem, orisquè tui dignitate superati, & pulcherrimâ illâ venusti scenâ eloquii, per varios Diuini humanique Iuris recessus circumducti, publicum orbi testimonium dabant, quoties Te intueri fas erat, vel inter sapientiæ Numina, ceu quandam Intelligentiam, hoc vnum agitantem audire, vt maior indies horasquè; vni Deo honos accresceret, non obtentu vanæ gloriæ, aut famæ desiderio, sed magno conscientiæ voto, & affectu.

Quid & huic dicet posteritas, cui se modo mea consecrauit laudatio? quod Tu ad implendos gloriæ fastos, Tibi ipsi ereptus, propriis corporis commoditatibus intermissis, eò pupillam oculorum Tuorum intendebas, & manus; vt prodesses omnibus, noceres benefactor nemini, non vires tuas hebetabat labor, non insomnes noctes frangebant mentem, non magnitudo causarum, vsuram temporis eripiebat. Totus eras in negotio, totusquè liber, curis ingentibus, & longâ solicitudine attritus, magnam tibi imponebas necessitatem, nec fractus in necessitate vixisti. Ingenio ad res gerendas excitatissimo præstans, solerti industriâ, sedulitate indefessâ, omne illud gloriosè vincebas, quod arduum tangi, & componi insolens, & vinci dubium erat. O summam vim ingenij! ô mentem sapientiæ plenam! ô Diuinæ particulam auræ prudentiam! quâ ingentia momenta rerum, rarâ felicitate, non semel confecisti. Soluendus erat poscentibus, non dubiâ ferri acie; sed solerti in Concilio sapientum, nodus ingenio, soluisti gloriosè, victor ab ingenio Alexander: disponenda erant, & componenda summa rerum negotia, magniquè, & magis dubii euentus, necessitate, & exitu dispares, opinione maiores, ingenti mentis dexteritate composuisti: non semel vnus omnium solida negotia gerens, regensque animos, ibas ad sublime veræ gloriæ Capitolium, per confragosum nimis, spinis & sentibus obsessum iter. Solenne quippe magnis mentibus est, in ardua quæquè obstinatius rapi. Bene Cyneas, mirâ oris facūdiâ, Censorinus Cato consummatâ in rebus prudentiâ, Annibal cruento deprælliantis ludicro Martis, Aemilius clarissimâ triumphorum pōpâ, Xer-

pâ, Xerxes immensitate exercitûs, immortalitatem sibi pepererunt. Sed melius his omnibus eminebas PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, vndiquaquè lucidissimis sapientiæ collustratus radiis, magnisque operibus æstimatus, & veluti innocentissima crystallus, illâ tuâ mentis pulchritudine, ex omni parte transparebas, Id tamen non suffecit ad gloriam, sæpissimam habuisti necessitatem cogitandi, vt boni solent, quomodo porrectus in publicum, profligatam toties inertiam expungeres, & stupore tui, omnium mentes raperes; donec in Iride Aquinatica, viuis sanctitatis coloribus, & purpurascente eloquentiâ, in Diuo Aquinate expressa, conspicereris. O quis dulcem oris Tui ambrosiam, diuinum eloquentiæ nectar, verborum gemmas, stvli maiestatem, pari eloquentiâ celebrabit, aut vestigabit laudator? Quotquot enim in tua Aquinatica Iride, sapiens Auditorum consessus, stupuit colores, tot cultissimæ vniones vidit eloquentiæ. Hîc me grandis cura, hîc difficultas circumstat, quid, aut quomodo de Te scribam? qui omnium, magnus ipse Diuorum Orator, meditatas voces, & ingenia excessisti, minoris subsellij laudatoribus, altum indixisti silentium, Tibi ipsi mensuram gloriæ assignasti; vt non à quopiam laudareris, qui non sit similis tibi. Probrosum enim est, immo stultitiam olet, excellentissimas laudes, graui culpâ ingenij deterere, & consignare metam gloriæ, ad quam decurrere, nisi magnis passibus concessum est. Modica hæc fuerunt, quæ Tuo nomini coronando, laurus immortales cōgesserant, illicia hæc fuêre, & blanda gloriæ tentamina, quæ Tuam generosam Alitem, Craciis in oris morabantur. Verùm frustra iaciunt rete, ante oculos pennatorum? inclyta Auis hæc, non vni climati nata, alteri dat se visendam Poloniæ, nullis coërcita limitibus, libertatis semper amans, naturæ sequitur semina ritè suæ, non immemor adhuc Parente Lecho, sui principii, in vrbem Metropolitanam conuolat, quò magnis Archipræsuleæ famæ, Principis Prazmouii stimulis, trahebatur.

Hîc exactissimum per merita ad honores emensus iter, conscendisti theatrum illud, ad quod vniuersus sapientum Senatus, seriò mentem intendebat, cuius primum in fastigium limen, ingens turba mortalium insederat, Te sæpè reclusis foribus, iuris oracula euoluentem, magnis compellans, & collaudans vocibus. Principis iussa, quàm sacrosanctè seruasti, illo afflicto tempore, dum omnia, veluti ex condicto fatorum, magnis casibus premerentur; Tu nullâ necessitate fractus,

ingruentibus nõ concessisti periculis, & si totus laberetur orbis, impauidum ferijssent ruinæ. Quòd si maxima gratiæ suffragia mereri, & magnis Principibus placere non vltima laus est; profectò, nulla vis ingenij, nulla mentis industria, nulla scribentium aut loquentium, id euoluet elegantia, quàm summè illi Polono Nestori, legumquè statori Præmouio, placueris. Equidem inopem me in tuis laudibus copia facit; & magis animo pronum est, aliquid de tanta meritorum amplitudine demere; quàm addere posse cogitanti. Quid iuuat splendido meridie, accensam præferre facem, & magis excessu mentis laborare, quàm necessitati consulere? quid iuuat guttam Oceano infundere? sic ingens laudum tuarum, meritorumquè negotium, umbratili facundiâ extollere, aut longâ oris imitatione metiri? quod nemo, & dicendo prosequi, & celebrando exornare potest. Has etenim curis ingentibus illigatus, ac immixtus, amplissimas dotes exercuisti, quæ non tenuis vmbratilem suadam Oratoris; sed ipsam æternitatem merentur. Diuina Themis, alia publicè, in augusto Orbis theatro pro Te, alia priuatim, apud Principem, nuncupabat vota, qui simulac totum Te in linguas, vocesquè laudantium infudisti, dulce omnibus de Te fecisti certamen, & miraculum.

Insolens fortunæ mutatio, quoties exæstuantes ad summa honorum fastigia inflat, attollitq; animos, quos aut præcoci successu, eleuat in altum, aut per saltum promouet, non metam ponit; vt nullum finē habeat ambitio, quâ immensi mortalium, in adulantium illati auras, immortalitatem existimant, dum ad speciem vulgi, falsis laudibus fatigantur: non hæc animum vanæ laudis studio occuparunt, abstraxisti solidam mentem Tuam, ab his plebis inconditæ deliriis, illa maiorem Tui partem vendicabant sibi negotia, quæ non fuco, aut vllis ambitionis finibus læderentur. Nihil laudi tuæ tributum, nihil cumulatum honori, quod aut imprudentem vulgi solicitudinem, aut præcocis famæ appetentiam olebat. Neque aliter publicis Te inferebas obtutibus, quàm per summa laborum compendia, & ardua nimis discrimina rerum, quæ ignauos, ac imbelles animos, aut arcent, aut magnitudine suâ frangunt. Creuit demùm illa Tua insignis sapientiæ, & consummatæ prudentiæ gloria, tantâ dignatione honoris, etiam sine malignantium inuidia, quanta pro summis laboribus, sufficere debet sapienti. Multos ingeniosa numerauit antiquitas, qui expugnata sacro bella sub Ilio, triumpho vecti per Vrbem, in deliciis habuêre, non paucos pri-

coſ, priſca hiſtoricorum recenſet narratio, qui poſt currum triumphalem in applauſum duxerunt Reges; victi tamen ſolâ maleuolorum inuidiâ, & tabido aſperſi liuore, in ſacro fame certamine turpiter iacuêre. Tu his felicior euaſiſti, PERILLVSTRIS DOMINE, nam Te Princeps dilexerat, quem nullus odiſſe potuit, viciſti ingentia inuidiæ monſtra, antequam intenſiùs amari cæperas : ſumma cordi Tuo credita erant arcana, cùm Te omnes iuſtitiæ amuſſim, Iuris & prudentiæ Oraculum celebrabant. Felix, dignuſquè tanto Principe ſcriptor, qui momenta legum, mentis illâ dexteritate, & iuſtâ interpretatione abſoluebas, vt & Principis cor mirâ replens dulcedine, & Tibi magnum iter ad gloriam reſerans, ac immortalibus in ſe meritis, triumphalem aperiens portam, citiſſimo paſſu, illius celeres ſoleas, longo Patriæ ab uſu, ceu ſol in meridie ſplendeſcentes, inueſtigares. Præibat Crux feliciter, cuius amor, & veneratio Tibi cordi erat, trahebat amicitia, quò velles, ad optatam fortunæ ſtationem, patebant portæ, aditum præcludebat nemo, inuitabat communis omnium in Te amor, inclinabat verticem laboribus, meritiſque honos, quocunquè iter faciebas, ipſi viarum receſſus, magna dabant ad gloriam tibi ſpatia, ſi voluiſſes conſcendere. At Tu etiam nomen ipſum ſublime honoris, & non ſolùm faſtigia ſumma recuſabas, gratâ virtutum conſcientiâ, & immenſis ſapientiæ opibus, ſatis honoratus, exemptus opinioni, ſuper his omnibus, nonniſi per ſublimia eleuatiſſimæ mentis ferebaris. Quàm longam vota omnium, cum Tua modeſtia fecêre pugnam! & quàm tardè auguſtum pectus hoc, ſolâ diuturnitate expugnauêre. Nomen illud, quod alij primo ſtatim in limine, antequam ſe homines intelligant, votis omnibus, & precibus poſcunt. Tu vſquè eò diſtuliſti, donec Tuorum parciſſimus meritorum æſtimator, ceu alteri faciem Orbi infunderes, & clariſſimis demonſtrares ſignis, Tibi ex merito virtutis, non ex rudi, & malefida populi aſſentatione, parem laboribus honorem deberi. Subtrahebat alibi inuidia laudes, & magna notis inumbrat nomina, de Te nõ item eſt dicere, qui his maleuolentiæ exẽptus legibus, magnis ornabaris elogijs; ſed noluiſti extolli : extollebaris laudibus, ſed renuiſti inter hæc votorum hilaria diffluere; diffluebas inter iucundos amplexus Tui amantium, ſed differebas amari; amabaris ceu cor in homine, vitam ſanguine ferens, ſed repugnabas, pulchrâ mentis demiſſæ contentione amori: contendebas Te abſtrahere, ne videreris; ſed eò magis eminebas: fugiebas Sacra Nominis Tui elogia, ſed Te comitatu magno gloriæ, altus honos ſequebatur.

Liberrima ingenia, quæ Pater Phœbus amauit, non ſuis concluſa angulis premuntur in tenebris, ſed in clara luce refulgentes, ſapientiæ explicant radios, eò glorioſiùs, toto ſapientum adſpectante theatro, quò magis triſtes noctium vmbras auerſantur. Pertinebat hoc ad auream Tuæ meſsē gloriæ, PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, vt non ſoli natus Poloniæ, magnis dilectus Nominibus, iucundiſſimæ intuentium ſcenæ exponereris, non ſuffecit ad illuſtrandum Nomē, tot perennis famæ collegiſſe ſplendores, & Patriam implere meritis; ſed debuit hæc alti claritudo Nominis, nido natiuitatis ſuæ, ceu nube quâdam ſeſe euoluere, debuit ex Patrio angulo, in lucem publicam prodire, & ſub alieno ſole, hos illimes explicare radios, ac in capite Orbis totius Vrbe, in æde ſapientiæ, tanta gloriæ exempla diffundere, exoticaquè ingenia, rapere in ſtuporem. O me infelicem Oratorem! cui de Te nūc digna non poteſt contingere Oratio! nam magnis ſuper veſtigia laudis paſſibus ferebaris, ſi te ſuſpexero, aduerſus reſplendeſcentes, in Romana ſapientia radios, noluiſti domeſticis concludi anguſtijs; ſed publico Gentium ſapientumuè patere ſpectaculo; vt ingenioſam coniicientium doceres ignorantiam, non aliam Tibi Parentem Naturam infudiſſe virtutis propenſionem, quàm in ipſo publicæ lucis meridiè obuerſari. Stupebant in Te conſummatā ſapientiam, exotica ingenia, & prorſus Diuinam mentem, ſacratioribus ſtudiis inſerebant, omne pretium, quod hucuſque in gazophylacio ſapientiæ immortalitati aſſeruant, in Te vno ornando conſumere nata, inuitabant maximo laudis argumento, ad euoluenda Diuæ Themidis dogmata ſacra. Tu verò, ceu Rex & pupilla mentium, circumductus, veluti in ſcena gloriæ, maturam prius intendiſti circumſpectionem, antequam votis ſuis pareres; prius doctam ſatis exactiſſimè exercuiſti prudentiam, totus in Iuriſprudentiam, ſummo ſtudio amplectendam incubuiſti, antequam coronam meritorum tuorum, glorioſum ſapientiæ inſigne, in Iuriſprudentia Doctoralem laurum capeſſeres. Quàm ſummis ergo oportebat inſtructum eſſe ſcientiarum præſidijs, quàm ſublimi, maſculo, magnarumquè rerum capaciſſimo ſpiritu, quàm heroicâ, laudabili, virtutis & ſapientiæ gnarâ indole? cùm in æde ſapientiæ, ad danda oracula creatus Doctor, etiam non domi Tuæ, niſi ex ingenio notus gentibus illis, quibus alienas virtutes laudare non iucundum, ingens honoris elogium meruiſti.

Dulce hîc eſſet, & non minus glorioſum, prolixiores in Tuis laudibus moras, & ſpatia conſumere, ſi Te diutius orbis caput, Gentiumquè

Domina

Domina vrbs, vi magneticâ,inter amabiles Te videre cupientium ſinus, tenere potuiſſet. Nullum quippe locum calcaſti, quò te lætiſſimi ouātium plauſus non comitarentur. nullam vixiſti diem, nullum exegiſti tempus, quo tibi plus amoris, beneuolentiæ, fauoris populorum, non accederet. Etiam magnis ominibus, futurum in vrbe appromittentibus honorem, niſi diuinatio domeſtici boni, te expectantium in Patrio ſolo, aliò mentem auocâſſet. Iucunda hæc amantium illicia fuêre, & policitatio pulchra. Sed vicit amor Patriæ, dulcem illam Te aduerſus euiſcerantium ſeſe conſenſionem, qui Tuam pertæſus abſentiam, reditum quoquè, omnibus votis poſtulabat. Ignoti redeunt, qui ideo abiuerunt in regionem longinquam; vt amplius laterent, nulla populi, in bonorum conſpirantis amorem, beneuolentiæ ſigna, nulla amicorum iucunda commercia merentur, qui omnibus odioſi,iuxta ac inutiles facti, nil niſi faſtum, & arogantiam cogitabant. At Tu illatus Patriis Regni finibus, adeo ſapientiſſimorum cordibus, & animis, mentis illâ teneritudine immigraſti, atquè ora omnium, manus, calamos, non ſine inſigni acceſſione gloriæ rapuiſti; vt ſæpiùs tibi ereptus, omnibus te circumſtantibus, ac admirantibus, per partes amicorum diſtractus, totus tamen & integer omnibus, inter eorum aures, oculos, interquè manus, & magna amoris vota verſareris. Quid memorem? quomodo aduentabas in Patriam,quibus auſpiciis ingrediebaris dulce natiuitatis Tuæ ſolum? vidit nonnemo, expalluit ſuis in tenebris cæcutiens; ſed domi alienæ perſpicacior lynce inuidia, quæ te etiam,adacta noui honoris dignatione, venientem adorauit. Mirabantur plurimi, ouabant amici, & ſtupebant; quàm gloriosè conſalutans iuit tibi obuiam gradus honoris, dans non dubium omen, altius capeſſendæ ex voto dignitatis. Atquè primùm poſt Checinenſem, quæ nomen Tuum,& ſolicitudinem æternitati commendare non deſinit, offert ſe ordine pulchro, Radoſzycenſis Præpoſitura, forſan vel ideo; vt illi prius conſulas, nouus ſapientiæ conſiliarius,& non magìs Tuæ gloriæ, quàm immunitati ſuæ prodeſſe poſſis.

Enimuerò, ſic itur ad honores, per longos meritorum gradus; & non fauſto pede, hic magna ſcandit faſtigia, quem aut præcoci paſſu, aut emendicatâ ope, ſola vulgi adulatio promouet. Tu ſemper Vir ſapientiſſime cogitabas tecum, quomodo ardentiſſimam fortunæ contentionem vinceres, aliò mentem inflectens, vt illibatus maneres, & dona hæc magìs viſa, quàm capaci mente poſſeſſa, quibus Te inſolens Dea

 cumu-

cumulabat, aut ingeniosâ arte eluderes, aut non acceptares rogatus. Expugnauit tamen inaccessibilem mentis tuæ arcem, placidus Archipræsuleæ munificentiæ fauor, amouit hæc stationariæ industriæ morarum spatia, ille erga Te generosi pectoris ardor, cui non alia solicita cogitatio, non alia crebrior solicitudo mentem insederat, quàm Te beneficiis, & honoribus exornare. Minimè passus remissum de Te animũ, qui sapiens pectus Tuum, studiis omnibus prosequebatur; in publicum amoris testimonium, Archidiaconatum Curelouiensem tibi conferens, palam declarauit, Te sibi magìs dilectum, quàm alios, vt potè bene perspicacem oculum, & pupillam. Acceptasti honorem, & beneuolentiam Principis, sed tamen repugnabas dignitatibus, ne Te Timotheũ agnosceres, aureo fortunæ hamo, sublimes piscantem honores, & beneficia. Sed uicit melior successus, iam non fortunæ, at virtuti destinati honoris, quem tibi merita parauêre. Ergo succedis omine fausto sponsæ tuæ ornandæ, Præposituræ Małogostensi, iam pridem omnium votis communibus postulatus. At quo temperamento Deus bone! fortunam Tuam, interdum non ad vota fluentem, moderatus es! Præpositus Małogostensis, magnorum Virorum titulis, signis, & votis, non minus sapientiâ, modestiâ, labore, vigilantiâ, Pastor & Sacerdos populi factus, cùm iam illam tuam solicitudinem expleueras, atquè perenni honoris adoptione gaudebas, sensisti ictum fortunæ, & læsam multorum explorasti conscientiam; sed & hìc destinatus noluit te honos deserere, immo longam nomini tuo ætatem, longiorem famam, & vberem gloriæ messem precabatur. Hinc, magnis de Te auditis vocibus, summus ille veteris militiæ Manlius, hostium fulmen, & Patriæ nunquam desertor suæ BIDZINIVS, ô quam Te altùm adamauit, & ingentes curas impendit modis omnibus! vt sphingem magnarum difficultatum eluderet, & Te cunctantem, ac certantem in campo fortunæ, longiùs annuo spatio, operosâ illâ sollicitudine euolueret, absolueretque. Priuatus Tibi PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE videbaris, quàmdiu ipse pro te operam dabas; sed postquam tanti Bellatoris publica apud Monarcham Lechæi orbis, de te vota audita sunt, alius euasisti, & elogium immortalis famæ, & sacra fortunæ stipendia prehendẽs. Deberi quippe ex merito virtuti honorem, & venerationem, etiam quæ nullibi fixam stationem occupat, inuidia censet, authoremquè eius immortalitati inserendum, vt exemplo discat grata posteritas, vbique gentium, non contentatione, & vano gloriæ plausu, sed ingentibus rectè

facto-

factorum meritis, honorum distribui gradus: Verùm est ita de Te dicere; quia Tuum generosum pectus, non diflauit tumida laudis ambitio; sed immensæ virtutis opes ditarũnt, animum non vana opinio sublimauit; sed insedit eruditio, crystallo puriores, ad amussim normamque honestatis expensos mores, non fuco, aut Cerusâ, malè sana commendauit temeritas; sed genuina educatio, & amantium tutela parentum, in lucem publicam efformauit. non mea de te æstimatio, sed magnorum Virorum sensus, sed Principum vota fuère, cùm Te iuris & sapientiæ, veluti quoddam oraculum legerent, assererentq́;. Iuisti per manus in manus Principum, rarâ nominis celebritate, operoso quidem nimis labore; sed glorioso exemplo: hìc ut alia ex consilio missa faciam, magnificum conscendisti solidæ laudis theatrum, dum illi magno Principi placere inceperas, qui Os facundum Poloniæ, in consiliis Cato, in Senatu Pericles, non vnico lustro, sed longâ annorum serie dicebatur, Wydzgam loquor Primatem. Studium eius in Te feruens, & summa cogitatio semper erat; vt tuo nomini paria merita, & honores pararet. Nullum quippe magno Principe, & immortalitatem merituro, maius impendij genus est, quàm quod in sapientiæ, & virtutis ampleandos erogatur honores.

Facilè est coniectare, quomodo in sinu tanti Principis, & gratiis proficiebas, Vir Maxime, cùm non alteri arcana suæ Diœcesis cõsilia, præterquã Tibi reuelaret. Opus erat in augusto sedis Vaticanæ apparere vertice, apparuisti gloriosè, magnus pro nomine tãti Archipræsulis Orator, & diuina illâ vi mentis, tàm abstrusissima negotia perfecisti. Quidquid tamẽ gloriæ, aut elogiorum tributum habes, necdum Te sufficienter celebratum credas? donec ad compendium laudum tuarum, immo pro maiori testimonio veræ gloriæ addatur, quòd non solùm tanti Senatoris, ardua nimis obiuisti munera; sed eo decedente, thesauri & peculij sui, exactissimus prudentissimusque Distributor eligi merueris. Vacauit sedes, tanto orbata Numine, sed Tu ab ingentibus & stupendis, non vacasti muneribus, quem Diuini humanique Iuris, illa Intelligentia Kraieuius, in sapientissimum decidendarum Causarum Auditorem adlegit. Vacant alij, sepulti inertiâ, & non sentiunt, quantùm sibi desit, tùm maximè intelligunt, dum desipiunt, tùm ad veram nominis gloriam proficiunt, dum profundioribus tenebris, & altâ obliuione inuoluuntur. Tibi verò nullum non gloriosum momentum, nulla non palmaris hora, in hoc munere fluxit: talibus enim auspiciis viuere, & magnos tro-

phæis computare annos, illis concessum, quos amica fortunæ indulgentia, adhuc in cunis, ad eximia quæquæ destinauit. Atque hîc tuam veluti in speculo contemplatus prudentiam, ex combinatione præsentium, futuros similes, tanquam ex præmissis consequentiam minimè negandam, cum laude accessuros, ominabaris honores. In decernendis Causarum sententiis, ita præsentissimo fuisti ingenio; vt semper omnibus humanis fauoribus, diuinarum sancita legum, & sacras Ecclesiæ Constitutiones præferres. Digesta, adeo admirandâ mentis intelligentiâ, in dispensandis alterius commodis digessisti; vt nullus superesset, qui Te non æquissimum, Ius suum vnicuique distribuentem, appellaret, collaudaretq;. Principum placita, magnis inserta Codicibus, non ad eorum placitum, neque ad Pauperum iniurias interpretabaris. Feudorum libros, & volumina exhausisti; vt scires quomodo imprimis magno cœli Monarchæ, dein orbis Principibus, tributum honoris, & reuerentiæ exolueres. Decretum Gratiani, non læuâ mente versasti, vt omnibus fieres gratiosus. Decretales Bonifacij exegisti ad vnguem; vt omnibus benefaceres: his & aliis immensis sapientiæ meritis, vtram q; adimplêsti paginam, & ille tantùm te ignorat optimum mortalium, qui nondum aut seipsum intellexit, aut in vmbris abscondit, digna luce publicâ pretia rerum. Videor iam cernere Te altius, quàm antehac subuectum PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, non spoliis fortunæ, & extortis adulantium plausibus; sed magnis ex sapientia laudibus, Principumque Te semper amantium fauore, gloria, publicis Encomiis coronatum. Videor ingentia Tibi decora, & noui honoris fastigia parari: nunc fortuna sublimem, instantemque offert gradum, & gloriæ currum, si modò ascendere velis, qui soles ingerentes sese honores relinquere. Aliud ex alio mihi occurrit: quàm speciosum est, quòd virtute nemini concessisti! quàm gloriosum, quòd summos sapientiâ, & altis honoribus Viros, adæquasti; quàm adspectabile, quòd excellentissima quoq; ingenia, & Medulam sapientiæ vicisti, triumphasti. Testis est, qui tuos ingentes nouit labores, testis est qui tuam æquissimam coluit mentem, cui nihil vnquam adhæsit, quod aut Diuinarum momenta legum, aut intaminatæ innocentiam conscientiæ læderet. Loquetur famam Tuam sæculis, indesinenter, summus pro Ecclesia Dei zelus, loquetur labor, & frequentissima noctium, dierumque euigilata spatia, quæ non corpori, aut dulci somno impendisti; sed continuæ lucubrationi, calamis, & voluminibus consecrâsti. Poscebat genuina

in iu-

in iudicijs veritas defensionem, defendisti : excitabat innatus honesti amor, contra ambitiosos vibrare legum arma, vibrâsti : stimulabat recti honestiq; capax conscientia, dubio certamine, iustissimæ causæ obtrudentem sese fastum, & arrogantiam vincere, vicisti, profligâsti, triumphâsti. Non ego, sed pro me loquitur vindicata, & ex multis erepta manibus, Gnesnensis Canonicatûs, toties iniustè vsurpata possessio, loquitur Camenensis Infulata Præpositura, quæ hæc vtraq; animo eleuatissimo, & omnes ictus maleuolentiæ sustinenti, mirâ dexteritate, sapientiâ incredibili, rarò huius seculi exemplo, euicisti. Arduum erat in tot inuidiæ ictus acutissimos incurrere, sed Tu felix Epanimunda, hæc vniuersa, adsultantium obstacula fregisti: dubium erat per tot anfractus iuris, legumq; recessus, tam abstrusam vestigare causam, sed Tu iuisti per ardua; periculosum erat inter tot ambitionis monstra, quæ iustitiæ & virtuti venenum parant, obuersari; sed Tu minimè veritus, contendisti, donec opus clauderes, quod non læuâ mente inchoaueras.

Vnum est, supra quoduis fastigium laudis, quod magnorum instructissimos Oratorum calamos, & summa fatigat ingenia, vnum est, quod vix hominibus loqui concessum, mille gratias & mille charitates in Patriam complexa, Fascia Principis MAŁACHOVII. Hùc ingenui largiq; sapientiæ fontes, qui vbiq; locorum profundissimo loquentium ore manare possint, festinanter accurrant; hùc conglobatæ per ingentia rerum spatia adsint voces, & vota, ac diu cogitata, sese depromat meditantium elegantia, in tanti Principis celebrandis laudibus. Profectò suas angustias confessa succumbet, & prorsùs deficiet. Mentem enim omnibus gloriæ numeris absolutissimam, & velut cælo delibatam, in delicium humani generis, in terras missam bonitatis speciem, quis est adeò temerarius, & insolẽtis ingenij scriptor? vt audeat pari elogio ac eloquentiâ efferre quæ in sui æstimatione, omne ebur & pretium, æquè scribentium & meditantium consumpsit. Ille solus magnus in Republica Senator, in tam afflictis Patriæ rebus, Diuinæ mentis Sacratioribus consilijs deprehendit, quomodo tantam malorum Iliadem comprimere, publicæ securitati prospicere, metu Ciues, Patriam periculis liberare, religionẽ & aras, grauissimo ac fœdissimo pollutas scelere vindicare, opes tot florentissimas, fortunasq; & consumptam magnis bellorum impensis, pulcherrimarum rerum frugalitatem resarcire, aut accumulare possimus. Immensitas, meritorum illius, ipsam continuato gloriæ cursu, immortalitatem exposcit, nec audet ea, sine vllo laudis artificio, calamo depromere

 mere

mere officioſa veneratio; quæ alij è longinquo admiratione & ſtupore exæquant, & tunc ritè ex conſcientia ornant ac celebrant: dum in tanta maieſtate exhauſti, profundo cultu venerantur. Eſſet profectò, quod diceretur cumulandis tam Sancti Antiſtitis laudibus, niſi in dies & momenta, immenſus laudationis Oceanus, non per ſtillicidia ſuccreſcens; ſed per magnos ſinus gloriæ circumfluens, exundaret. Quis neſcit plenis manibus tanti Principis, innumera ſpargi in populos beneficia, & præſtandi celeritate velocius præoccupare tempus optandi? quis neſcit magnæ mentis indulgentiâ, in omnium affectus influere? inopes rerum & malè habitos à fortuna, bonis augere, & ceu Numen aliquod Cœlo delapſum, vitam poſcētibus dare, non promiſſis, ſed erogandis muneribus laborare? quis neſcit ea magnum hunc facere Antiſtitem, quæ Diuinæ competunt naturæ, ſi ritè Deum, à dandis beneficijs vocauit antiquitas. Hic diu gemitus inconditi locuturam non differunt vocem, quos præoccupat effuſiſſima Principis liberalitas: longa expectatio, non elicit ingens habendi deſiderium, quod mens illius ſummè placabilis momento complet, non deniq; obligant ſumma beneficia, gratiæ Principis participes, quæ non ideo effunduntur, quia potens eſt dare, in quem velit; ſed ideò non compreſſis vlnis, erogantur in omnes, quia in quemquè bonus eſt. Nam ſicut agros diuturno ſitientes ardore, mille vocibus accerſitus imber, fecundos reddit, ità hic munificentiſſimus Antiſtes, ſumma omnium deſideria, ingentibus perfundit, & irrigat gaudijs. Quàm pulchrè in auguſto ſinu, adeò exoptati Antiſtitis indulſit Tibi fortuna, PERILLVSTRIS DOMINE, & Te totum inter reliquas charitates, magnorum Faſcia meritorum complexa eſt, quem Summo ardore popoſcerat, cordis ſui & conſiliorum participem. Quanquam reluctabaris, & longius vota eius tenebas, altius tecum expendens, quid, quantum, tanto Principi debeatur; vicit tamen felix Tui amor tantam animi cunctationem: nam magnus Antiſtes, ſimulac auribus famam tuam hauſerat, ingens impendit ſtudium, vt Te quoq; & oculis intueretur, & ſapientiſſimum, non ſine cauſa ſeſe ingentium, faceret Auditorem. Hinc mihi liceat, tuum illud cor alterum, & mentem non aliam, iuris & ſapientiæ inextinguibilem lucernam, Principis monile pretioſum, & delicium, fratrem rarò alteri ſic dilectum, ad Sacra Apoſtolorum properantem limina, operoſis poſt fines Regni veſtigare paſſibus Petrum, qui non ita properanter, terras obuio curſu conſtratas tranſuolat, quàm facilè, & quàm felicibus auſpiciis, vos gemina clariſſimæ

lucis

lucis sidera, dulce Fratrum par, Arcades ambo, æquali cursu certantes pro gloria, in omnium mentes, & in sacrum pectus Antistitis, descendistis. Petrus ille, cui æs triplex, circa præcordia fusum, natura dedit, nulli expugnabilis erat, nisi soli gratiæ Principis MAŁACHOVII, priùs ante Te in deliciis habitus; quia noluisti prius amari, qui Te subtrahebas honori, vt ille gloriosiùs, ad sublime Vaueli fastigium ascenderet, & sacris illis luminibus, quæ in perpetuas æternitates collucent, stellatam lucem suam, Tuamq; simul adderet. Placuit Principi, qui nulli displicuit, nisi soli inuidiæ: placuit magno Antistiti, & meritò quidem; nam sibi tantum formæ, dignitatis, animi, prudentiæ, dexteritatis, consilij, felicitatis, diuinitùs tributum, ad res gerendus, Polonus admiratur orbis; quantum non aliis omnibus, nisi tibi, quo cū, non solùm iura sanguinis; sed & hæreditatem sapientiæ possides. Vestra hæc sunt vniuersa mentis decora integerrimæ, quidquid, aut illi labor, aut fortunæ indulgentia, fauorque Principis impertiit, aut Tibi ingentia merita pepererant, quæ & libenter sapientum senatus expendit, & ego cum maximis quibusuis muneribus, non sine læto quodam animi præsagio, confero.

Consum ergo Te, aut ipsam Themidem, PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, cùm orbis Polonus honorificentius veneretur, & voto multiplici, populus vix non vniuersus celebret; quam felicitatem, non alii, nisi Tuæ virtuti, nisi Deo, & ipsam virtutem debes, hoc tibi eueniat? & non intermissâ honorum serie, gloriosus semper in auge refulgeas. Atq; his, pro Te, dum certat calamus votis, & deuotam officioso pectore, ad diem Diuo Patrono Tuo sanctificatam, gratulationem depromit, Tu Vir Maxime, cuius reliquas virtutes & merita, ex consilio silentio veneror, iam magnis plausibus, vbique summus & sapiens æstimatus, triumpha in tanta gaudiorum messe? & magni Antistitis cordi immersus, longas ô vtinam, vir dignissime ferias, integer, & semper optabilis viuas? Faciat cœlum, vnde mentis Tuæ optimam partem traxisti? vt Tibi longam felicitatem gratulentur mortales, & superi elargiantur immortales. Illam quippè, non animi fastu, non vllis secretioribus emolumentis; sed solâ dignatione virtutis, & continuato laboris Magisterio meruisti, Id totum à Natura concessum habes, quòd sicut maximo rerum paratu, in tanta festi tui solennitate, summa gaudia & lætiām concipis; ita te in his omnibus, nihil est moderatius. Insolescunt alii temeritate inconstan-

tis fortunæ, ad magna prouecti fastigia, quid non colligunt, vt omnia possint, etsi non omnia, secundum honestatem posse facere, nisi pessimo licet: accēdunt sibi triumphos, & præparant scenas, theatra moliuntur, ludos, cursus, certamina, dissolutissima insolentiæ negotia, ingenti vanæ laudis anhelitu instaurant, vt per tanta effrenatæ licentiæ discrimina effracti, aut grauissimum, post gaudia incipiant luctum, aut in se concolorem assentationis fucum, ad ineptias fabulatum, vulgo relinquant. Tu verò maximis die hodiernâ diffluis gaudiis; sed mentem hac ægritudine, & impotentiâ minimè contaminas, sed totus Tibi præsens, idem inter votorum hilaria obuersans, & suauissimè indulges animo, & his omnibus mensuram adhibes, & omne inopinatum necessitati relinquis. Ergo lætissimus ipse, hac dulcedine gaudiorum fruere, & triumpha, nulli proximus malo? nam tibi Aquilæ tuæ, aucta suo lumine, feliciter stella præfulget, & surgens à telonio Matthæus, lætioribus momentis præit in triumphum: viue Ecclesiæ, pro cuius nomine, & immunitatibus, animum & sanguinem consecrasti? viue Principi, quem summè veneraris, & ille Te intensiùs amat? viue Patriæ, & legibus, quibus dicendis, ac defendendis natus es? viue Academiæ, cui faustissima quæquæ precaris: denique viue Tibi, tuisque Clientibus, qui hæc pro te nuncupant superis vota; vt post tantam laborum, & meritorum Acrocorinthum, postque, ad beatæ longissima spatia felicitatis, exactum calamitosæ vitæ telonium, Diuinus Iuris & sapientiæ Præses, surgens, magnis passibus, procedensque Matthæus, excedentem terris Astræam imitatus, astra petas, nunquam satis laudatus.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

XX. 2. 3.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023610